



Fridericus ex illustri familia Comitum de Hochēstauffen in Sueuia oriūduus fuit. Erat is multis uirtutibus ornatus, atq; Cæsari Heinrico eius nominis quarto gratissimus. Cum enim Rhodolphus pseudo cæsar Heinricū persequeretur, Fridericus ille magno animo in summis periculis Heinrico adfuit, atq; animi & corporis sui fortitudinē multis in locis declarauit. Interfuit etiam cruento prælio, in quo Heinricus anno 1084. cum Rhodolpho congressus uictor eualit, atq; suū hostem truncata manu sustulit. Cum autē eo tempore Bertholdus Rodolphi gener Sueuiæ ducatum soceri permissu possideret, Heinricus Imperator eūdem eoducatu priuauit, atq; hunc Fridericum in eius locum Sueuiæ principem constituit. Ut etiam eum arctiori uinculo sibi deuinciret, filiam suam Agnetē uxore dedit. Itaq; Fridericus Cæsaris gener & dux Sueuiæ ob uirtutes factus, suam ditionem magna laude & gloria administrauit, atq; ex uxore Fridericū & Conradum filios procreauit. Cum autem per aliquot annos optimè rebus præfuisset, immatura morte abreptus fuit. Agnes eius uxor postea S. Leopoldo Austriae marchioni desponsata multorum liberorum mater extitit. Fridericus uerò Sueuiæ dux factus est, ex quo Fridericus Barbarossa Cæsar prognatus fuit. Alter autem filiorum à suo auunculo Heinrico 5. Franconia dux constitutus, postea Cæsar electus est. Ut autem huius Friderici profapiam cognoscamus, eam in tabula subijcere placuit. Monst.

lib. 3. Germaniæ.